





E. 26. num. 26

QVAESTIO

1771. 14.

IVRIS CONTROVERSI

AN

V S V S F R V C T V S

IN

DOTEM DARI

POSSIT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISEVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIĒ XXIV. DECEMBER. ANNO CCCCCLXXI.

DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS DOEHLER

MARIADTHALENS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPEFIIS.







AN  
VS V S F R V C T V S  
IN D O T E M D A R I  
POSSIT.

---



§. I.

Ambigua videtur, nec satis accurate definita  
quaestio: *An vſusfructus in dotem dari pos-  
sit.* Duplex quaestionis ratio esse potest.  
Primum videndum, an scilicet vxor marito vſumfructum  
fundi tantum in dotem dare possit, haud ipsum fundi domi-  
nium, quale consequitur maritus in fundo dotali. Dein:  
an vxor, cui in fundo alieno vſusfructus competit, in dotem  
ipsam vſusfructus seruitutem concedere possit. De vtra-  
que quaestione, quid videatur nobis, dicamus.

§. II.

De Vſusfructu prius quaedam praemittamus. Con-  
stat ex arte ICtorum abiisse vſumfructum in formalem et cau-  
ſalem. Hunc dicunt ius domino in propria sua re compe-  
tens

tens et vtendi et fructus seu emolumenta ex ea capiendi. Illum contra de seruitute intelligunt, qua quis re aliena vtitur fruitur salua rei substantia. Sunt, qui impugnant grauiter hanc diuisionem, quique minus aptam dicunt. Consentiam; at vellem, ne referant inter diuisiones, sed tantum inter terminos artis, qua distinctio significatus vnius eiusdemque vocis denotatur. Quis enim negat domino ius re sua vtendi fruendie, et vt vti frui possit, dici effectum dominii: vel vt ex arte technologias dicam, in dominio causam esse vsusfructus, tanquam partem effectuum dominii, quod exprimunt, domino competere vsusfructum causalem. Sic posse aliquo modo defendi hanc terminorum artis distinctionem putem, ne de solis verbis pugnemus.

## §. III.

Iam ad ipsam quaestionem. Sunt, qui dominium marito negant in rebus dotalibus, eumque semper vsusfructuarium habent rerum dotalium. His forsan inanis videbitur disputatio. Sed hos ad Imperatorem IVSTIANVM in pr. f. quibus alien. lic. vel. non. mittamus. Ait: Accidit aliquando, ut qui dominus sit, alienare non possit: et contra, qui dominus non sit, alienandae rei potestatem habeat. Nam dotale praedium maritus inuita muliere per legem Iuliam prohibetur alienare, obligare vero, ne illa quidem volente: quamvis IPSE SIT dotis causa ei datum. Affirmat, DOMINVM interdum alienare non posse: exemplo probat scil. ex lege Iulia de adulteriis petito, cuius legis caput marito dotalis praedii alienationem prohibuerat. Necesse ergo, maritus fuerit dominus dotalis fundi. Ergo diuersa erit mariti causa, si fundus in dotem datur, et si fundi tantum vsusfructus in dotem datus sit. Consequitur inde diuersitatem adeste debere re in dotem data et rei vsusfructu in dotem dato.

## §. IV.

Iam, quid de his causis leges ipsae statuant, videamus. Adsit itaque TRYPHONINV S in L. 78. §. 2. ff. de Jur. dot.

Scri-

\* \* \*

Scribit: *Quod si mulier in fundo suo marito vsumfructum DOTIS causa constituerit: tunc ex marii persona erit vsumfructus proprius, qui et non viendo ipius pereat.* Non ergo proprietas fundi hic in dotem datur, sed solus vsumfructus, servitus illa personalis, proprietate manente apud vxorem, quae et libere de proprietate disponit, quod patet ex ead. I. in verbis: *Quod si alienauerit vxor proprietatem.* Quis vero dicat, si res ipsa in dotem data, mulieri ius adhuc superesse posse alienandi rem. Obstaret autoritas PAVLI in L. 7. §. 5. ff de Jur. dot. Si res in dote dentur: puto in bonis mariti fieri acceptionemque temporis marito ex persona mulieris concedendam. Fiunt autem res mariti, si constante matrimonio in dotem dentur. Si itaque mariti fiunt, vxori alienandi ius esse nequit rei dotalis. Praeterea dixerat TRYPHONINVS c. l. non viendo ipsi vsumfructum perire. Fac maritum rem in dotem accepisse, neque ea re eundem vti, non amittet dominium, modo possessionem habeat, neque solus non vsum eidem nocebit.

### §. V.

Aliam speciem TRYPHONINVS cit. l. §. 3. exhibet: *Vxor viro vsumfructum dotis nomine dedit: manente matrimonio eidem fundum vendidit: quod poterat cum proprietatem fundi haberet in bonis, cum qua proprietate aliquando vsumfructus consolidatione coniungatur.* *Quaeſtum est, diuoratio facta, quid dotis iudicio recuperare debeat.* Distinguit ICtus, utrum proprietas tantum aestimata sit pretio, an tanti venisset, quanti debet venire non detracto vsumfructu. Hac specie videtur constante matrimonio dotem recepisse, illa contra vsumfructus aestimationem habituram.

### §. VI.

Pater ergo diuersum esse, si fundus detur in dotem, cuius dominus maritus fit, omniaque dominii iura in fundo acquirit, praeter ea, quae lege restricta sunt: et si vsumfructus fundi in dotem detur, quo casu dominans tantum effici-

efficitur, neque dominium fundi habet, sed seruitutem saltem personalem in fundo constitutam. Sicut itaque vsumfructum mulier in dotem dare potest, ita et nuda proprietas in dotem recte dabitur. Quamquam enim proprietas vix sufficere videtur ad onera matrimonii ferenda, qui finis est dotis dandae, tamen cum ob consolidationem futuram vslusfructus cum proprietate ipsa proprietas proficia esse possit, non dubitandum, ipsam proprietatem nudam in dotem dari posse. Exemplum est apud P A V L U M in L. 4. ff. de Jur. dot. Si proprietati nudae in dotem datae vslusfructus accesserit, incrementum videtur dotis, non alia dos, quemadmodum si quid alluione accessisset. Casum legis sic fingo. Titius legauerat Caiae fundum deducto vslusfructu, Sempronio vero vsumfructum fundi. Dicit Caiam in matrimonium Seius, et ne indotata ad maritum veniat, fundum deducto vslusfructu legatum marito notio dat in dotem. Interiecto tempore, cum Sempronius diem suum obiisset, consolidatur vslusfructus cum proprietate, quam in dotem acceperat Seius maritus: non opus est, vt noua quasi illatione in dotem vxoris vsumfructum ad maritum deferat, sed sicut, qui principalem habet fundum alluione facta incrementum latens iure accessionis acquirit, ita vslusfructus fit accessorium proprietatis, quae principale constituit, et cum proprietas in dotem data sit, in bonis mariti recte accessione fit vslusfructus marito, ad quem pertinebit vslusfructus, donec finiatur matrimonium, quo facto non proprietas tantum, sed integer fundus, i. e. et proprietas in dotem data, et vslusfructus accessionis iure doti acquisitus restituentur erit.

### §. VII.


Poterat praeterea et vslusfructus in dotem dari fundi, cuius proprietas vxoris non esset, vel ab ipsa vxore, vel a domino seu proprietario fundi. Posteriorem causam tractat POMPONIVS in L. 66. ff. de Jur. dot. Scribit: Si vslusfructus fundi, cuius

cuius proprietatem mulier non habebat DOTIS nomine mihi a domino proprietatis detur: difficultas erit post diuortium circa redendum ius mulieri: quoniam diximus usumfructum a fructuario cedi non posse, nisi dominio proprietatis; et si extraneo cedatur, id est, ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire; sed ad dominum proprietatis reuersurum usumfructum. Quidam ergo remedii loco recte putauerunt introducendum, ut, vel locet hunc usumfructum mulieri maritus, vel vendat nummo uno, ut ipsum quidem ius remaneat apud maritum, perceptio vero fructuum ad mulierem pertineat. Adscripsimus integrum fragmentum maxime, cum subtilis Pomponii sit disputatio de restitutione dotis. Patet aduentitiam constituisse dotem usumfructum illum, quippe nisi ita expresse stipulatio facta esset, ad constituentem dotem, non redibat ea soluto matrimonio, sed vel ad vxorem, vel apud maritum remanebat, prout essent circumpositae causae, hinc dubitationem ponit, si diuortio facto ad vxorem dos ventura sit, cum marito seruitus constituta, eaque cedi a marito nequeat vxori, ob id quod tantum proprietario cedi possit, suadet vel locationem ususfructus vel simulatam venditionem, non iuris ususfructus, sed fructuum perceptionis. Aliud vero consilium videtur habere MARCELLVS in L. 57. pr. ff. solut. mair. Ait: Ususfructu in dotem dato. Si diuorium interuenerit; nec proprietas rei apud maritum, vel mulierem sit: eam dotis esse restitucionem: ut MARITVS CAVEAT, QUAMDIV VIXERIT, PAS-SVRVM SE VTIFRVI MULIEREM HEREDEMQUE EIUS.

### §. VIII.

Tandem alia species adhuc superest apud TRYPHONIUM in L. 78. pr. ff de Jur. dot. vbi fundi proprietas ad maritum pertinebat, ususfructus vero ad mulierem. Ita scribit: Cum in fundo mariti habens mulier usumfructum, dotis, causa eum marito dedit; quamvis ab ea ususfructus deceperit; maritus tamen non usumfructum habet, sed suo fundo quasi dominus viritur, consecutus per dotem, plenam fundi proprietatem,

non



*non separari am vſuſructu: nec eſt, quod non vrendo maritus amittat.* Quid? vxor marito vſumfructum in dotem dat, et tamen negat lCtus maritum vſumfructum habere. Sed salua res eſt, quippe, cum in dotem dat vxor vſumfructum marito fundi proprietario, ſit neceſſario consolidatio, cum pro dote titulum ad acquirendum ius habilem conſtituat. Videtur ergo mulier proprietario fundi vſuſructuarii ceſſe vſumfructum, quo factō deſinit vſuſructus, quoties ad ipsum proprietarium reuertitur. At ita forſan indotata efficiatur vxor? videtur equidem indotata, cum omnino vſuſructus conſolidatione pereat; At indotata vere non eſt, quod exinde patet, quia, diuortio factō, maritus tenetur ad reſtituendum mulieri vſumfructum, ſeu quod magis eſt, mulieri competit ius exigendi a marito, vt denuo vſumfructum conſtituat, quod et TRYPHONINVſ adſirmat c. l. Ait: *Diuortio autem factō, conſtituet in eodem fundo vſumfructum mulieri:*

### §. IX.

Probauiimus ergo, recte adſeri poſſe Vſumfructum in dotem dari poſſe, nec nocet, ſi in alieno vſumfructum mulier habet, cumque marito in dotem det; non enim iſum ius vtendi fruendue tradit, vt ſupra diximus, ſed percepcionem, ne obſtet regula, *cedendo vſumfructum extraneo nihil agi.* De viſu forenſi nihil eſt, quod adiiciamus. Sicuti romanae de dote leges in foris Germaniae, cui antiquis temporibus dos incognita, receptae, ita, quae ex iis valida erant, niſi accedat huius iuris noua abrogatio, quin apud nos valeant, non dubitandum.

**ULB Halle**

008 558 760

3



WORP



E. 26. num. 28

QVAESTIO

1771. 14.

EV RIS C O N T R O V E R S I

A N

V S V S F R V C T V S

I N

D O T E M D A R I

P O S S I T

Q V A M



L I P S I A E  
L I T E R I S R V M P F I I S.

